

indifferente, neque est liber in suo principio, quia determinatio ipsa non est libera voluntati.

Quarto, sumitur evidens argumentum ex parte voluntatis divinæ; quia implicat contradictionem, voluntatem Dei absolutam et prædefinitivam non impleri seu frustrari. Si autem cum illo auxilio efficaci posset simul componi non consensus voluntatis, etiam posset simul componi hæc duo, quod Deus decreverit voluntatem hominis consentire in tali instanti, et quod ipsa non consentiat; ergo, sicut hoc posterius implicat contradictionem, ita etiam illud prius. Minor probatur, quia illud auxilium efficax dicitur esse unicum ac necessarium medium, quo Deus implet suum absolutum decretum prædefinitivum; ergo si cum illo auxilio posset componi carentia effectus, etiam cum decreto divino posset componi; utraque ergo compositio implicat contradictionem; ergo etiam repugnat quod voluntas possit non consentire in illo sensu composito; nam potestas voluntatis non extenditur ad id quod implicat contradictionem.

Dices hoc ipsum argumentum posse contra nos retorqueri; quia nos etiam dicimus posse voluntatem non consentire in sensu composito illius vocationis, quam congruam et efficacem appellamus; cum tamen admittamus decretum prædefinitivum Dei, et vocationem illam esse medium quo voluntas illa executioni mandatur. Hanc objectionem contra nos exaggerat Franciscus Davila, capite vigesimo sexto, et putat nos consequenter dicere voluntatem nostram posse resistere decreto absoluto divinæ voluntatis, et illius effectum impedire, ac proinde illud genus efficaciam per vocationem congruam non esse sufficiens ut divina voluntas efficaciter impleatur, sed necessariam esse efficaciam realem ac physicam, qua Deus applicet voluntatem hominis ad operandum prædeterminando illam. Putat denique injuriam nos facere omnipotentiae Dei, dum dicimus non posse ita applicare voluntatem relinquendo illi liberum usum suæ operationis.

Respondetur tamen ad replicam factam, esse longe dissimilem rationem, quia nos non ponimus efficaciam illius vocationis in illa secundum se spectata, sed supposita præscientia conditionata, et ita non est efficaciam virtutis necessario inducentis effectum, qualis esse dicitur in determinatione physica, sed est efficacitas infallibilis futuritionis; et ideo optime stat quod voluntas possit non consentire,

etiam in sensu composito talis vocationis, nimirum, præcise considerata virtute motiva et effectiva talis vocationis. Atque hoc sufficit ad plenam libertatem, quamvis, adjuncta suppositione præscientiæ Dei, non possit cum illa componi carentia consensus, quia jam non tantum supponitur vocatio, sed etiam actus ut in suo tempore præsens; et hoc satis est ut voluntas divina infallibiliter impleatur, et ut voluntas humana non possit illi resistere, quamvis posset resistere vocationi dicto modo spectatæ. Hæc autem consideratio locum non habet in auxilio efficaci, quod non ex præscientia, sed ex intrinseca virtute et efficacitate inducere dicitur illam determinationem et consecutionem infallibilem.

Unde facile patet responsio ad alteram objectionem; non enim dicimus hominem posse resistere divinæ voluntati, cum sciamus contradictoriam propositionem formaliter et expresse legi in Scriptura, esseque evidentem, cum divina voluntas sit ipsa omnipotentia, vel illam applicet prout vult. Sed dicimus liberum arbitrium posse resistere vocationi secundum suam virtutem spectatæ, quamvis non possit componere cum vocatione congrua, ut talis est, carentiam illius actus, ad quem vocatur, propter præscientiam ejusdem actus, quæ in illa vocatione involvitur. Ad resistendum autem divinæ voluntati, oportet simul illa duo componere, et ideo, sicut non est potestas ad componendum illa duo, ita neque ad resistendum voluntati divinæ.

Atque ita evidens est illam vocationem esse sufficientissimam ut divina voluntas infallibiliter impleatur, et potestatem illam, quæ manet in nostro arbitrio ad resistendum vocationi secundum se, non repugnare efficaciam divinæ voluntatis. Quia ipsamet Dei voluntas ita voluit actum nostræ voluntatis, ut simul voluerit conservare in illa liberam et expeditam potestatem ad oppositum, quod fit optime illo medio, non vero per physicam determinationem, ut declaratum est. Nec hoc magis derogat omnipotentiae Dei, quam non posse facere duo contradictoria, nam (ut ostendimus) est implicatio contradictionis, cum tali modo efficaciam conjungere potestatem resistendi in sensu composito; potestas autem solum in sensu diviso in præsentia frivola est. Tantum ergo adest ut voluntas propter suam indifferentiam requirat prædeterminationem extrinsecus impressam, quod potius hoc ipso titulo postulet, ut ei non imprimatur, sed libere operari sinatur.

## CAPUT XXVI.

EXPENDITUR ALIA RATIO DESUMPTA EX DETERMINATIONE AD ACTUM MALUM.

Adversus idem fundamentum necessitatis prædeterminationis physiciæ, sumptum ex indifferentia voluntatis humanæ, vel ex ejus dependentia essentiali, uti solemus alia ratione ab inconvenienti desumpta, circa quam multa denuo scripta sunt, quæ oportet hic breviter expendere. Ratio ergo est, quia si necessitas prædeterminationis physiciæ imprimendæ a Deo, ut a proprio auctore et gubernatore voluntatis humanæ, oritur ex dependentia vel naturali indifferentia voluntatis, sequitur idem genus determinationis necessarium esse ut voluntas eliciat actum malum moraliter, quantumvis intrinsece malus sit. Consequens autem est absurdissimum, alioqui refunderetur ita in Deum actus malus, sicut bonus, tanquam in primam originem ad quam fit ultima ejus resolutio; ergo positio illa ex tali fundamento admittenda non est.

Hanc difficultatem fuse tractavit Cabrera in illis suis disputationibus, et occasione illius tam multa Deo tribuit circa peccati causalitatem, ut horreant piæ aures illa legere seu audire. Primo enim, *fateri*, inquit, *oportet Deum suo auxilio prævio efficaci determinare voluntatem ad materiale peccati*. Et paulo inferius, numero 597, non dubitat concedere ut probabile, *Deum inclinare voluntatem ad malum formaliter, secundum rationem entitatis*, et positivi, si specificativum peccati sit aliquid positivum, ut censet probabile: solumque excusat Deum, quia non inclinatur ad malum sub ratione mali. Aliaque multa consequenter adjungit, his similia, quæ in sequentibus commodius referemus.

Hanc vero doctrinam improbavi latissime in libro secundo de Auxiliis, per quinque prima capita, quibus nunc fere nihil addendum occurrit; solum illud Theologis iterum proponendum et commendandum censui, ut nimirum verborum involucris non eludantur, sed districte evolvant et explicari faciant quid significant illa verba: *Deus, sua efficaci voluntate, et auxilio, ac physica impressione antecedente, determinat voluntatem hominis ad materiale peccati*? nam revera hæc verba idem significant quod hæc sequentia: *Deus efficaci voluntate sua, et auxilio fecit ut voluntas Judæ voluerit se determinare ad volendum vende-*

*re Christum*. Nam illud velle fuit materiale illius peccati, et non aliud; itaque, juxta illam sententiam, Deus voluntate sua sola per omnipotentiam facit ut voluntas Petri determinetur ad volendum fornicationem, quia delectabilis est, nam hoc est materiale illius peccati, et non aliud; at quid magis impium potest de Deo dici aut cogitari? Aut quid amplius de illo dixit Calvinus, cum eum fecit causam peccati? Legantur quæ de illo refert et refutat Bellarminus, toto libro secundo de Amissione gratiæ et statu peccati, et conferantur cum his quæ Cabrera docet toto illo § 12, et intelligetur facile nullam esse in re diversitatem.

Neque est sufficiens excusatio dicere, quod hæretici impudenter fatentur absolute Deum esse auctorem vel causam peccati, quod ipse ut Catholicus non concedit; nam imprimis etiam isti hæretici hoc concedere formidant; deinde vir Catholicus debuisset advertere an id in re ipsa sequatur, nam si revera sequitur, parum refert modum loquendi vitare. Quod autem sequatur patet. Nam quo alio efficaciori modo poterat Deus esse auctor peccati, aut trahere homines ad peccandum? Si enim (ut isti volunt) dicitur Pater trahere homines ad Christum quia determinat voluntates eorum ad credendum in Christum, cur non dicitur trahere homines ad peccandum, si determinat voluntates eorum ad volenda objecta prava? Quod enim non determinet ad volendum malum sub ratione mali non satis est. Quia nec dæmon ipse, dum tentat, inducit ad volendum malum sub ratione mali, sed sub ratione delectabilis, et tamen simpliciter inducit ad malum. Si ergo Deus non solum tentat, sed etiam efficaciter trahit, et facit velle malum sub ratione delectabilis, simpliciter facit velle peccare, et trahit hominem efficaciter ad peccandum, et hoc est esse Deum auctorem peccati, etiamsi Deus ipse non peccet, nec malitiam per se intendat.

*Homo seipsum impellit et præcipitat, id est determinat ad peccatum*. — Præterea, quam majorem excusationem et justificationem possunt habere homines in suis peccatis? Nam ipsi non peccant nisi volendo; at Deus facit illos velle, et efficaciter eorum arbitrium de se indifferens determinat, ut id potius velit quod est malum quam contrarium; quæ profecto esset maxime legitima excusatio, si vera esset. Non est autem vera, et ideo dixit Ambrosius, lib. 1 Exameron., capit. 8: *Propositum tuum speculari, habitum tuæ mentis*



*explora, excubias obtende adversus tuæ mentis cogitationes et animi cupiditates. Tu ipse tibi es causa improbitatis, tu ipse duæ flagitiorum tuorum, atque inventor criminum. Quid alienam naturam accersis ad excusationem tuorum lapsuum; utinam te ipse non impelleres, utinam non præcipitares!* Quid, quæso, est se impellere aut præcipitare, nisi se determinare ad id quod non expedit? Certe si Deus ad talia objecta sensibilia, aut materialiter et sensibilibiter bona, hominem prædeterminat, ipse potius eum impellit ac præcipitat; unde subjungit: *Illam cavenda, quæ ex nostra voluntate prodeunt, delicta juventutis, et irrationabiles passiones corporis. Quorum igitur nos sumus domini, horum principia extrinsecus non quæramus, nec derivemus in alios, sed agnoscamus ea quæ proprie nostra sunt. Quod enim possumus non facere, si nolumus, hujus electionis malum nobis potius quam aliis debemus ascribere.*

Præterea sequitur Deum non solum permittere peccatum, sed positive ordinare ut fiat eo modo quo fieri potest. Quod quidem consequens expresse admittit ille auctor, n. 587, de excæcatione et obduratione cordis, quam dicit facere Deum, non solum permitiendo seu subtrahendo peculiare lumen vel auxilium, nec solum proponendo objecta per se bona, sciens hominem illis abusurum ad suam duritiem: *Sed etiam efficaciter inclinando et trahendo voluntatem ad eliciendos actus, quibus homo excæcatur, obduratur et decipitur.* Quæ verba sane durissima sunt, et aliena a sensu Patrum et Theologorum, qui longe aliter exponunt Scripturam et Augustinum, ut in citato loco late tractavi, et videri potest in D. Thoma, 1 part., quæstion. 22, et 1. 2, quæst. 79. Quidquid vero sit de excæcatione et induratione, de peccato ipso erroneum esset dicere Deum non solum permittere illud, sed etiam velle, prædestinare et procurare, nam hoc est facere Deum auctorem peccati, quia quod Deus vult et procurat, facit profecto et causat. Quod autem hoc sequatur, patet, quia Deus non tantum permittit, sed vult, et ordinat, ac procurat illum actum, quo peccatur; ergo eodem modo non solum permittit, sed etiam vult et ordinat ipsum peccatum.

Respondent Deum ordinare quidem et providere positive (ut sic dicam) procurando ut fiat peccatum pro materiali, non permittere autem formale, quod est dicere Deum ordinare et procurare ut homo velit fornicari, li-

cet ille actus necessario habeat malitiam conjunctam, nam illam Deus non vult, sed permittit. At hoc absurdissimum est; nam si Deus vult et ordinat ut fiat talis actus a voluntate libera, cum talibus circumstantiis, quibus concurrentibus impossibile est quin malitiam habeat adjunctam, quomodo dici potest solum permittere malitiam, et non potius velle et ordinare illam eo modo quo ordinari potest; non quidem tanquam per se intentam, sed tanquam indirecte et virtualiter volitam. Qui enim vult aliquid ex quo necessario sequitur aliud, non tantum permittit, sed etiam virtualiter vult illud consequens; permissio autem proprie est quando ex voluntate unius rei potest sequi alia, et fortasse prævidetur futura, et nihilominus non evitatur, quia non necessario sequitur ex re prius volita, sed aliunde ex alterius voluntate. Dicere autem illam esse permissionem, solum quia non intenditur malum sub ratione mali, frivolum est. Nam homo qui jubet alteri mendacium vel homicidium non intendit malum sub ratione mali, et non propterea tantum permittit, sed vult et ordinat id quod malum est, quod repugnat bonitati voluntatis ordinantis, seu volentis.

Unde Sancti non tantum dicunt Deum permittere malitiam, sed etiam permittere ipsos actus quibus est adjuncta malitia, et omnino negant Deum positive providere aut procurare tales actus, et Concilium Tridentinum, sess. 6, can. 6, definit: *Si quis dixerit mala opera, ita ut bona, Deum operari non permittit solum, sed etiam proprie et per se, ita ut sit proprium opus ejus non minus proditio Judæ quam vocatio Pauli, anathema sit.* Ubi expresse Concilium loquitur de ipso opere quod est materiale peccati, ut est proditio Judæ, et dicit illud tantum esse permissum, et non positive provisum, et in hoc sensu dicit per se et proprie non esse a Deo, nam per hæc verba non intendit negare, Deum efficienter concurrere ad ipsum actum peccati, ut per se constat; sed negat id satis esse ut actus ille per se ac proprie tribuatur Deo, quia non procurat illum, nec facit ut fiat, sed tantum offert concursus de se indifferenter, et potius vellet ut actus bonus fieret. Qui sensus etiam patet ex fine Concilii; intendit enim damnare hæreticos hujus temporis, qui non dicunt Deum intendere ac procurare malitiam, sed opera illa quibus est adjuncta malitia, de quibus aiunt ita esse opera Dei sicut bona opera, et hoc est quod damnat Concilium.

Præterea est optima ratio, quia si Deus ita vellet et faceret nos velle objecta prava, illud velle nostrum esset rectissimum, et non malum. Nihil enim rectius potest facere homo quam velle quod Deus vult eum velle, cum regula omnis voluntatis bonæ sit divina voluntas; ergo si Deus vult absoluto et efficaci decreto ut Petrus velit fornicari, illa voluntas Petri recta est, quia est conformis regulæ suæ voluntatis. Nec mens capere potest quomodo homo Deum offendat, eo quod faciat id quod Deus facit eum facere, ita determinando hominis voluntatem ad id faciendum, ut non possit homo ei resistere; merito ergo dixit Concilium Arausicanum II, cap. 23: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando illa agunt quæ Deo displicent.* Ubi etiam adverto non posse dici displicere Deo, quod ipse antecedenter et ex se efficaciter vult et procurat, ac facit ut fiat.

Unde idem Cabrera, eod. § 12, num. 28, consequenter ad superiorem doctrinam, dixit actum peccati quoad substantiam suam non prohiberi per divinam legem, quia substantia illa bona est, et participatio divinæ bonitatis. Quod absurdissimum est, ut constat ex forma ipsorum præceptorum; nam sicut affirmativa mandant substantiam actuum, ita negativa prohibent ipsos actus positivos, circa quos versantur. Nam lex immediate præcipit et prohibet quod est in hominis potestate; malitia autem vel bonitas non est in hominis potestate, nisi ratione actus cui adjungitur; ille ergo actus secundum suam entitatem positivam prohibetur, licet ratione malitiæ, et ideo peccatum definitur *esse dictum, vel factum, etc., contra legem Dei*; ergo lex divina ipsos actus positivos prohibet, et illi displicent Deo, ut Concilium Arausicanum dixit; ergo impossibile est quod sint primario ex Dei voluntate, aut quod homo, dum eos facit, faciat Dei voluntatem.

*Cabrera, disp. 3, § 3, num. 39.*— Confirmatur denique, quia alias vere ac proprie diceretur Deus præparare voluntatem hominis ad actum peccati, quia (juxta hos auctores) hæc præparatio maxime fit per auxilium prædeterminans. Consequens autem omnino falsum est. Nam, ut ait Concilium Arausicanum supra: *Quando voluntas hominis a Deo præparatur, tunc homo volendo Dei servit voluntati.* Si ergo voluntas hominis præparatur ad volendum hoc objectum, quod alias pravum est, homo profecto volendo illud divinæ servit voluntati; vel ergo non peccat, sed recte facit;

vel peccando non offendit Deum, sed ejus servit voluntati.

Quæ rationes omnes efficacissimæ sunt, sive malitia moralis in privatione, sive in positivo rationis vel reali consistere dicatur. Quia non nituntur nisi in providentia consentanea divinæ bonitati et sapientiæ circa ipsos positivos actus in particulari, et cum omnibus circumstantiis realibus, cum quibus est ab hujusmodi actibus inseparabilis malitia, quidquid illa sit. Essent autem evidentiores rationes, si malitia esset positiva, et realis proprietas, aut differentia ipsius actus; nam oporteret dicere Deum velle et ordinare actum ipsum ut malum, nam vult et ordinat illum ut est in tali specie reali constitutus. Nec refert dicere quod malitia non est ratio sub qua, nam satis magnum inconveniens est quod sit ratio, quæ sit formale objectum in quod tendit divina voluntas. Sicut enim velle mendacium repugnat divinæ veritati, sub quacumque ratione id velit, ita velle malum repugnat Divinæ bonitati, etiamsi fingatur id velle sub alia ratione boni. Imo hoc maxime pertinet ad eorum errorem, qui operantur malum, quia malum apprehendunt sub ratione boni, ut illud velle possint; hoc ergo ipsi Deo tribuere blasphemum est.

Atque hic discursus, ab inconvenienti sumptus ex causalitate malorum actuum, eadem efficacitate procedit, sive necessitas physica prædeterminationis fundari dicatur in indifferentia voluntatis creatæ, sive in essentiali dependentia a Deo, ut prima causa in agendo. Quia et cum voluntas humana peccat, operatur ut causa indifferens, et similiter eadem voluntas humana, cum vult malum, operatur ut causa secunda dependens a prima, eique subordinata; ergo operabitur ut prædeterminata a Deo, si dependentia et subordinatio illa in tali prædeterminatione sita est; de hac vero dependentia late et, ut opinor, sufficienter dixi lib. 4 de Auxiliis, a c. 15. et in capite sequenti non nihil adjiciemus.

Non desunt tamen, ut supra notavi, qui, licet fundamentum prædeterminationis ponant in indifferentia voluntatis creatæ, vel in dependentia ejus a voluntate divina, nihilominus volitiones malas excipiendas putant, ne dicantur esse ex prædeterminatione divina, et consequenter omnia illata incommoda fateri cogantur. Sed licet auctor hujus exceptionis merito timuerit assentire illationibus superius factis, et illi doctrinæ assensum præbere, non recte tamen nec consequenter philosophatus est, quia duo plane repugnantia simul admit-



tit; illa enim duo contradictoria sunt, tanquam universalis affirmativa, et particularis negativa. Quod enim convenit alicui secundum quod ipsum (id est per se primo, et essentialiter, quatenus tale est) convenit omni (juxta regulam posterioristicam); ergo si causæ secundæ vel indifferenti, ut talis est, per se et essentialiter convenit indigere determinatione primæ causæ, convenit omni, et in omni actione sua; ergo qui affirmat illud prius, et in particulari hoc negat de aliqua causa vel actione, contradictoria dicit. Quod si illa determinatio non est ita necessaria ut conveniat per se et secundum quod ipsum causæ secundæ ut indifferenti, ut sic frustra et sine fundamento hoc attribuitur universis causis secundis, vel indifferentibus, cum illa exceptione; quia destruitur fundamentum illius positionis; et nullum relinquitur in quo niti possit, nam omnes rationes quæ pro illa fiunt enervantur per eam exceptionem, quia vel idem de illa convincunt, vel nihil probant. Sed de hac doctrinæ consecutione dixi plura lib. 2 de Auxiliis, c. 6.

## CAPUT XXVII.

PRÆDETERMINATIONEM VOLUNTATIS HUMANÆ NEC CONCURSUM DEI ESSE POSSE NEQUE ALIQUID PRÆVIUM AD ILLUM.

*Ostenditur explicari non posse quid sit prædeterminatio, nec quem locum inter divina auxilia sortiatur.* — In discursu præcedenti ostendimus non dari fundamentum firmum et solidum, ob quod physica prædeterminatio necessaria sit; nunc alium instituimus, quo ostendamus explicari non posse quid sit illa determinatio, nec quem locum inter divina auxilia sortiatur, ac proinde admittendam non esse, cum solum ob necessitatem divini auxilii asseratur. Simulque amplius probabimus hanc prædeterminationem non esse necessariam propter generalem concursum Dei, quæ solet esse præcipua ratio ponendi illam.

Ut autem distinctius procedamus, imprimis distinguendæ sunt voces *auxilium* et *concursum*, quibus indifferentiter utitur Cabrera, disp. 6, in princ., num. 3, et omne auxilium, sive sit præveniens, sive concomitans, sive efficax, sive sufficiens, vocat *concursum*; nam in definitione auxilii ponit pro genere quod sit *concursum*, et e converso omnem *concursum*, sive sit ad supernaturales actus, sive ad naturales, vocat *auxilium*. Quæ omnia pariunt

confusionem in pertractandis auxiliis gratiæ, et in explicanda propria ratione et necessitate illorum, et ideo non oportet de naturalibus miscere sermonem, nisi quatenus cum supernaturalibus conveniunt in generali necessitate divini concursus. In supernaturalibus autem actibus non immerito possunt *concursum* et *auxilium* ita distingui, ut nomine *concursum* significetur ille influxus Dei qui debetur omni principio activo creato, juxta proportionem et conditionem suæ naturæ, nomine vero *auxilii* significetur motio vel influxus quem Deus præbet ad opera gratiæ, et propter peculiarem insufficientiam, quam liberum arbitrium ex se habet ad illa efficienda.

*Distinctio auxilii in auxilium per modum concursus et per modum principii.* — Ne tamen fiat vis in omnibus, quia etiam *concursum* gratiæ, comparatus ad liberum arbitrium secundum se, potest vocari *auxilium* gratiæ, quatenus non est illi debitus, ideo clarius distinguimus *auxilium* in communi in *auxilium* quod est per modum concursus, seu actualis cooperationis, et quod est per modum principii, et illud prius subdistingui in divinum influxum necessarium ex vi dependentiæ causæ secundæ a prima (quam significat nomen *concursum* absolute sumptum, juxta usitatum loquendi modum), et in influxum Dei, quo actualiter supplet defectum virium liberi arbitrii ad actus supernaturales, et est actio qua juvat infirmitatem ejus, et dicitur proprie gratia cooperans, vel cooperatio gratiæ adjuvantis.

*Auxilium per modum principii distinguitur in illud quod datur per modum habitus, vel per modum actualis motionis.* — *Auxilium* autem per modum principii, ut est prius tempore vel natura quam operatio liberi arbitrii, generaliter dicitur gratia præveniens vel operans, et distingui potest in illud quod datur per modum habitus, vel per modum actualis motionis et adjutorii quasi transeuntis. Omisso autem habitu (quia ad rem præsentem non spectat), *auxilium* actualis motionis ab aliquibus subdistinguitur in illud quod datur per modum motionis, quæ mere passive recipitur in voluntate vel intellectu; in qua receptione nullum est actuale exercitium vitæ, quamvis per illam motionem fortificetur potentia ad eliciendum actum vitæ, ut fidei amorisque. Dicitur autem illa motio actualis, licet ad actum vitæ immediate non terminetur, quia non separatur ab actu vitæ quem secum affert, neque amplius durat quam operatio

vitæ perseveret. Et ideo ab aliis *auxilium* illud vocatur *qualitas transiens*, in hoc differens ab habitu, licet cum illo conveniat in hoc quod est purus actus primus non elicitus a potentia vitali; sed de hoc genere *auxilii* satis incertum est an detur, quod videbimus. Nunc, id quod certum est supponimus, scilicet, *auxilium* actuale per modum principii esse operationem aliquam vitalem, quæ dicitur gratia præveniens, præcipue quando Deus illam faciat in nobis sine nobis libere cooperantibus. Neque est repugnantia quod dicatur esse per modum principii, et sit actualis operatio, quia una operatio potest esse principium alterius, et licet constituat potentiam in actu secundo respectu sui objecti, constituit in actu primo ad eliciendum alium actum circa illud, vel circa aliud objectum, ut assensus principii est actus secundus respectu præmissæ, et actus primus respectu conclusionis. Et sancta cogitatio est actus secundus respectu sui objecti, et est quasi actus primus respectu studiosi affectus.

*An determinatio sit aliquid in re ipsa distinctum a concursu.* — His ergo positis, comparando determinationem ad *concursum* vel cooperationem gratiæ, inquiri potest primo an determinatio sit aliquid in re ipsa distinctum a concursu, vel sint omnino idem, et consequenter cum determinatio dicatur esse *auxilium*, inquiri potest an sit per modum concursus, vel per modum principii, nam sub altero illorum comprehendere videntur necessarium. Quia illa duo membra, prout explicata sunt, adæquate dividunt *auxilium*, nam immediatam contradictionem includunt. Tandem inquiri potest an determinatio, quæ per illud fit, sit in voluntate tanquam actus primus, vel tanquam actus secundus, et quem istorum respectuum habeat ad *concursum*.

*Prædeterminationis physiciæ defensores quid sentiant.* — Igitur circa primum punctum, defensores prædeterminationis physiciæ aliquando dicunt illam esse motionem realiter distinctam, et ab auxiliis omnibus prævenientibus, quæ consistunt in actibus vitalibus indeliberatis, et a toto actu deliberati consensus, et ab actione, seu influxu per quem immediate fit tam a libero arbitrio quam a Deo. Ita colligitur ex Cabrera in multis locis, licet in aliis dicat contrarium. Nam imprimis, disp. 6, dub. 4, num. 22, vult *auxilium* efficax esse realiter distinctum a sufficiente; per sufficiens autem intelligit totum *auxilium* præveniens seu excitans, quod in

præviis actibus vitalibus intellectus et voluntatis positum est. Deinde in eadem disp. 6, dub. 1, num. 22, de auxiliis generaliter dicit, esse *principium intrinsecum operationis formaliter inherens animæ, vel ejus potentiæ*. Unde necesse est ut sentiat idem de prædeterminatione, quam dicit esse *auxilium*; et quia principium operationis ab illa realiter distinguitur, ideo necesse est ut determinationem a consensu re ipsa distinguat, et consequenter etiam a concursu, quia est actualis operatio. In eadem vero disp., dub. 10, num. 7, solum dicit esse *probabile quod distinguantur realiter*, licet contrarium etiam probabile sit. Rursus vero in eadem disp., dub. 8, num. 689, triplex distinguit *auxilium*: unum sufficiens, quod tantum respicit actionem ut possibilem, de quo supra dictum est; aliud efficax concomitans, quod respicit operationem, ut actualiter exercitam; aliud efficax prædeterminans, quod respicit applicationem potentiam, quæ talem actum debet exercere. Et ita sentit hæc tria *auxilia* esse realiter distincta. At in disp. 2, num. 482, dicit in agentibus per actionem transeuntem illa duo *auxilia* efficacia, concomitans et determinans, distingui realiter; in agentibus vero actione immanente solum distingui formaliter, tanquam modum rei a re; quæ omnia sine explicatione vel probatione sinit.

In aliis autem locis absolute affirmat *auxilium* non distingui realiter ab operatione potentiam, sed formaliter, ut disp. 6, dub. 1, num. 4. Ibi tamen videtur loqui de concursu, quem vocat actuale *auxilium*, de quo ibidem, num. 44, sentit esse in re ipsa formaliter distinctum ab actione creaturæ, ita ut, licet actio Dei et potentiam creaturæ realiter una sint, tamen distinguuntur formaliter et ex natura rei, quia, ut est a Deo, est principium et actus primus, ut autem est a potentia creata, est actio seu actus secundus. Aliis tandem locis negat *auxilium* efficax esse principium operationis, ut postea videbimus. Ac denique, eadem disp. 6, dub. 10, num. 7, probabile esse dicit *auxilium* simultaneum (id est *concursum*) non distingui realiter nec formaliter ab *auxilio* prædeterminante, sed tantum ratione ratiocinata. Ex quibus omnibus satis manifestum est quam lubrice et inconstanter sentiat hic auctor de hac prædeterminatione, et quomodo ad divinum *concursum* comparetur.

*Auxilium prædeterminans re ipsa distin-*